

Müller:
De causis
mitigandi
pœnam in
delictis



551
1



DE
CAVSIS MITIGANDI POENAM IN
DELICTIS.

IN
FESTO DIE

QVEM

V I R

SVMME REVERENDVS ATQVE DO-
CTISSIMVS

M. IO. GOTTGETREV MÜLLER

ASSESSOR ELECTORALIS CONSISTORII HENNEBERG,
SVPERINTENDENS ET EPHORVS GYMNASII
HENNEBERG.

PRAEDICATORIS MVNERE PER L. ANNOS
FVNCTVS MENS. OCTOBR. MDCCLXXVII
CELEBRAVIT

SCRIPSIT

IO. ERNESTVS IVSTVS MÜLLER

ADV. REGIM. ELECTORALIS HENNEB.

COBVRGI
EX OFFICINA AHLIANA

26. 4. 06.



Kp. 37
3718

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

LEIPZIG

V. I. R.

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

VEREINIGTE UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG

111
7



Quum obuiō in casu a poena in delictum quoddam legibus flautata ordinaria receditur, vel in fauorem eius, cui poena irroganda est, hoc euenit, vel non. Priori in casu *poenam mitigari dicitur*. Quare poenam mitigare in genere nihil aliud esse potest, quam *a poena ordinaria in fauorem puniendi recedere*. Hoc vero duplici modo fieri potest. Receditur enim vel ita, vt nulla plane poena locum habeat, vel non. Priori in casu poena *impeditur*, posteriori vero *mitigatur in specie*. Jam, quum de causis, quae mitigationem poenae generatim spectatam producant, sermo est, patet, *eas circumstantias in delicto obuinentes* subintelligi, *quae, vt a poena ordinaria recedatur, operantur*. Omne vero, quod in delicto, de cuius poena quaeritur, occurrere potest, vel ea ex ratione, quoniam factum ad notionem delicti, vel quoniam ad eius auctorem refertur, obuinit, hinc omnis causa mitigandi poenam vel *in ipso delicto*, vel *in imputatione eius* quaerenda est. Verum enim vero quum poena delicti ordinaria semper locum habeat, si factum omnibus gauisum fuerit constitutiuus, quae notionem delicti ingrediuntur, et auctori suo imputari dotuerit: sequitur, in vno alteroue aliquid deficere debere, quando causam poenam mitigandi inuenire volumus.

Proinde *defectus requisitorum ad essentiam delicti pertinentium*, et *defectus illorum, quae imputationem moralem operantur*, summa genera sunt, ad quae omnis causa mitigandi poenam referri debeat, et nulla earum, quae haecce ad genera reduci nequit, nomen hoc meretur. Hae, quae ex imputatione fluunt, quum in omnibus delictis obuinentur possint, sem-

per, *generales* non immerito denominantur, illae vero quae ex defectu requisitorum delicti oriuntur, vel *generales* vel *speciales* esse possunt. Requisita enim, quae deficiunt, vel ad notionem delicti in genere requiruntur, vel non, sed certam et determinatam delicti praeposunt speciem. Si prius causae *generales* et si posterius *speciales* adsunt. Jam de *generalibus* primo loco agendum erit.

§. 2) *Causae* mitigandi poenam *generales* diiudicantur. 1) *ex defectu eorum, quae imputationem delicti operantur.* (§. praec.) Quum igitur illas magis determinandi animus est, explicandum erit, quid sit *delictum*, et quid sit *delictum imputare.* *Delictum* est *actio subditi libera saluti reipublicae repugnans sanctione poenali interdicta.* *Imputatio* delicti vero est *iudicium, quod aliquis pro causa delicti declaratur.* Proinde, ut delictum alicui imputari possit, requiritur 1) *actio libera* et 2) *ut ille huius causa sit;* et sic porro explorandum est, quid sit *libertas actionis*, et quo modo quis *causa actionis liberae* esse possit.

§. 3) *Libertas* est *facultas ita agendi, ut etiam vires in agente adsint* sufficientes, actionem, quam actu edit, omittendi, et loco eius aliam patrandi. Hinc ad actionem liberam requiritur A) *ut agens actionem, quam patrauit, nec non oppositum eius antea intelligere potuerit.* B) *ut actionem committere voluerit,* C) *ut vi propria illam produxerit,* ita, ut a nulla causa neque interna neque externa ad agendum determinatus fuerit et sic denique D) *ut actio contingens sit.* Quum itaque de imputatione delicti sermo sit, inuestigandum erit antea, utrum is, cui illud imputari debeat, *libere egerit.* Vno alteroue eorum, quae ad libertatem actionis requiruntur.

antur, deficiente, imputationis negotium non plene procedit, et ipse hic defectus causam poenam in delicto vel impediendi vel mitigandi sup-
peditat.

§. 4) Ut actio pro libera declarari possit, requiritur A) vt agens actionem, quam commisit, antea intelligere potuerit (§. praec.) Hinc patet a) *defectum deliberationis in agendo* defectum libertatis inuoluere et sic plenam imputationem impedire. Enim vero deliberatio est actus intellectus, quo actio eiusque oppositum repraesentatur, ac simul quid omit-
tendum sit vel committendum, disquiritur. Qui igitur sine delibera-
tione egit, actionem quoque, quam patrauit non plane intellexit. Sic ali-
ter esse nequit, quam vt defectus deliberationis in commisso delicto, caus-
sam poenam mitigandi inuoluat. Fluit inde porro b) illum, qui *in statu affectum et somni* agit, liberam actionem edere non posse, quum facultas actionem intelligendi non adsit. Sic delictum in tali statu commissum rite imputari nequit agenti, et causa adest poenam vel plane impediendi vel tamen mitigandi. Sequitur inde c) vt *ebrius, qua talis*, actionem liberam committere, eaque illi imputari non possit, quum in statu ebrietatis actionem intelligere nequeat. Sic *ebrietas, qua talis, causa* poenam mitigandi et pro re nata plane impediendi in delictis esse debet, si nimirum delinquens sine dolo ebriamina biberit. Intelligitur quoque d) *infantem vel impuberem* actio-
nem eiusque oppositum in toto suo ambitu sibi repraesentare non posse, hinc eorum actiones plene imputari nequeunt, et si delinquerint, poena vel cessabit vel mitigabitur. Verum enim vero hic delinquentis ipsius semper ratio habenda erit, quum saepe intellectus vnus prae intellectu alterius maturescat. Apparet porro ex antea dictis e) *furiosum, melan-*

cholicum, mente caprum, stupidum, mutum et surdum simul actionem pro-
ducere non posse, quae sibi imputanda sit, quum facultate destituti sint,
actionem intelligendi. His igitur delinquentibus poena vel nulla vel tamen
mitior locum inueniet. Colligi porro licet, f) ex hoc fundamento in
actione *simplici* pluribus in casibus causas mitigandi poenam obuenire
posse, quam in actione composita. In actione enim simplici vnicus
actus est, pluresvero in actione composita, hinc illa faciliori modo, nulla
eius repraesentatione antecedente, patrari potest, quam haec. Facile
quoque est intellectu, g) in *ignorantia inuincibili* actionem quandam *lege*
poenali interdictam esse, versanti delictum imputari non posse, et sic eius
poenam impediri. Denique argumentari possumus, h) *senectutem* quoque
causam mitigandi poenam in delictis esse posse, si nimirum ita comparata
fuerit, vt agentem impediatur, quo minus actionem intelligat, per se vero
nunquam talem causam, constituit.

§. 5) Quum actio agenti ex fundamento libertatis imputari debet,
requiritur etiam B) vt illam patrare *voluerit*. Fieri enim omnino potest,
vt in agente facultas actionem intelligendi adesset, et tamen illi imputari
nequeat, quum non *vellet* actionem patrare. Obuenit hoc a) in *delictis*
errore commissis, quae libertatem nec non imputationem excludunt eoque
ipso poenam impediunt. Tale etiam contingit b) in *actionibus ex defectu*
debitae attentionis s. ex culpa commissis, quum voluntas agentis deter-
minata deficiat, et sic a poena ordinaria recedendum sit. In delictis
quoque c) *casu fortuito accedente commissis* voluntas in agente non adest,
et sic imputari nequit poenaque eius cessare debet. Denique d) si *iocando*
aliquid patratum fuerit, actio agenti non plene imputanda est, et miti-
gatio poenae locum inueniet.

§. 6)

§. 6) Ad actionem liberam quoque requiritur C) vt agens vi propria illas produxerit, ita, vt a nulla causa neque interna neque externa ad agendum determinaretur (§. 3) Hinc fluit, a) *actiones quae a mechanismo corporis aut a constitutione animae humanae originem ducunt*, agenti imputari et sic poenam earum cogitari non posse. b) *Delicta, quae vi externa coactus patrauit*, illi imputari nequeunt poenaeque eorum cessare, c) qui in certo statu versatur, qui *motina ad agendum suppeditauit*, actionem plene liberam edere et sic rite illa imputari non potest, poenaeque ideo mitigabitur.

§. 7) Libertas actionis tandem praeponebat D) vt actio contingens sit. (§. 3) Proinde a) *delictum sub necessitate quadam patratum* contingentiam actionis excludit et agenti vel plane non, vel tamen non plene imputari potest, ideoque poena eius vel impediatur vel mitigabitur. Quod etiam obtinet b) in *delictis* ab eo, qui in *collisione* erat *commisissus*. Actio enim in collisione commissa plenam contingentiam non habet, quum vna modo eligenda esset. Hinc eiusmodi delicta rite imputari nequeunt et poena eorum mitiganda est.

§. 8) Ad imputationis negotium plene adsoluendum requiritur etiam 2) vt is, cui delictum imputamus, causa actionis liberae sit. (§. 2) Causa actionis liberae esse potest, qui vel *libere agendo illam ipsam produxit*, vel *libere agendo ad existentiam alterius actionis aliquid conuulit*. Hinc patet, nemini poenam delicti irrogari posse, nisi causa illius sit, et si delictum ipse commisit nullae peculiae causae mitigandi poenam apparent, nisi eae, quae ex defectu libertatis actionis euolui possunt.

Quum

Quum vero de poena eius, qui tanquam causa delicti alterius consideratur, siue eius, qui ad delictum alterius concurrat, sermo est, causae eam mitigandi ex eo diiudicantur, utrum plus vel minus ad delictum alterius contulerit. Concurrere vero possumus ad delictum alterius modo committendo s. positivè, modo omittendo siue negativè. Prius fieri potest, vel dum motina ad agendum alteri suppeditamus, vel dum auxilium in exequendo delicto ferimus. Posterius, omittendo actionem, qua delictum alterius impediri poterat, evenire potest. Hoc et illud diuerso modo fieri potest, Hinc si causam poenam mitigandi erudiendi animus est, circumstantiae in concursu obuenientes euoluendae et ex his deducendae sunt.

§. 9) Causae mitigandi poenam in delictis *generales* diiudicantur II) ex defectu requisitorum notionem delicti in genere ingredientium (§. 1.) Delictum inuoluit *actionem*, quae non solum libera est, sed et quae saluti reipublicae repugnat, et sanctione poenali interdicta est. (§. 2) Hinc ex hoc quoque fundamento a) in delicto *libertate destitute* a poena ordinaria recedendum est. b) Qui per commissum delictum *reipublicae damnatum non intulit*, mitigationem poenae expectare potest. c) Actio, quae *sanctione poenali prohibita non est*, nulla poena afficitur, licet saluti reipublicae quam maxime repugnet. d) Delictum *nondum consummatum* causam poenam eius mitigandi inuoluit. Omnibus enim hisce in casibus requisita, quae per notionem delicti in genere, in delicto adesse debent, deficiunt, talis defectus vero inuoluit, ut poena ordinaria locum inuenire nequeat. Nunc ad causas mitigandi poenam *speciales*.

§. 10) Causae, quae in delictis poenam mitigant, *speciales* ex defectu requisitorum certae et determinatae delicti speciei oriuntur. (§. 1) Hinc si ob-

si obuius in casu, causas eiusmodi speciales eruendi animus est, notio delicti, de quo questio est, secundum regulas artis adaequata formanda, tunc factum, quod puniri debet, haec ad notionem referendum et ex hac relatione diiudicandum est, utrum in casu proposito omnia adsint, quae notio delicti requirit. Iam vero si mediante hac disquisitione appareat, deficere quaedam, quae notio delicti inuoluit, causae mitigandi poenam adsunt. Quaedam de singulis.

§. 11) Quum defectus illorum, quae notio delicti cuiusdam determinati praeponebat, causam poenam mitigandi specialem suppeditet. (§. 1. 10) Sequitur, ut *in delictis, quibus homo vita priuatur* causa talis adsit a) si vulnus illatum non per se, sed accedente demum occisi corporis constitutione lethale fuerit, tunc enim delinquens alteri vitam adimit, et poena obuius in casu legibus statuta ordinaria locum habere nequit, cum requisitum essentiale deficiat, quod nempe delinquens homini vitam adimere debeat. b) Si homo vitam in turba perdiderit, pluresque vulnera intulerint, quae sigillatim considerata lethalia non sunt, sed modo eorum coniunctione, talia facta sunt, poena singulorum, quae vulnera intulerunt, mitiganda est, quum quisque eorum solus consideratus, hominem vita non priuauerit. c) Si medicus debitam attentionem in curando vulnerato non adhibuerit, ita, ut hic non vulneribus, sed culpa medici mortuus sit, poena mitiganda est, quum delinquens causa mortis non sit. d) In *infanticidio* a poena ordinaria receditur, si clandestine parturiens dolore constituta *omiseris* quaedam, quae infanti mortem attulerunt, quum infantem proprie vita non priuauerit. e) In abortus procuratione poena mitigatur, si partus in utero nondum vixerit, vel alia ex causa viuere desierit, vel etiam si partus monstrum fuerit.

B

§. 12)

§. 12) In *delictis*, quae existimationem hominis laedunt, mitigatio poenae locum habet, si crimen alteri obiectum verum est, vel iniuriae non ita comparatae, ut alicuius existimationem laedere possint, vel etiam, si laesus iniuriam remittit. In *delictis*, quae bonis hominum damnum inferunt, mitigationis causa in exiguitate damni quaerenda est. In *adulterio* a poena ordinaria receditur, si coniux, tanquam pars maxime laesa, alteri, qui adulterium commisit, remiserit, vel in adulterium consenserit. Mitiganda erit poena in vxor, si ex concubitu partus non profectus fuerit. Omnibus enim hisce in casibus notio falsi, quae tamen in adulterio adesse debet, cessat. In *bigamia* consensus alterius coniugis, separatio a thoro et mensa poenam mitigandi causa erit. In *incestu* a poena ordinaria recedendum erit, quum inter concumbentes respectus parentelae non adsit. In *lenocinio* poena mitigatur, si nullum commodum in lenonem redundauerit, et si nullus concubitus fuerit exercitus. Si in *raptu* vis non illata nec concubitus secutus fuerit, a poena ordinaria recedendum erit. In omnibus *delictis carnis* causa poenam mitigandi adest, si feminis immissio deficiat.

§. 13) In *delictis*, quae aduersus summam potestatem in republica patrantur, causae mitigandi poenam ex defectu eorum, quae imputationem moralem impediunt, et ex defectu consummationis oriuntur. In *crimine* tamen *falsae monetae* causa specialis esse potest, bona materia, quae in moneta reperitur. In *delictis circa officia publica*, *ambitus* nempe et *Simoniae*, *reperundarum residuique criminibus*, poena arbitraria locum habet, hinc de mitigatione eiusdem quaestio incidere nequit per notionem mitigationis. (§. 1.) In *peculatus et sacrilegii criminibus* causae mitigandi poenam

poenam speciales, eruntur, vt in delictis, quae bonis hominum damnum inferunt. In delictis contra securitatem publicam, vi publica, fractione pacis publicae, obfessione viarum, vi priuatae, carceris effractione ac dardanariatu distinguendum erit, vtrum aliud delictum cum illis coniunctum fit, nec ne. Si prius, illud coniunctum delictum causam mitigandae poenae determinare debet. Si vero posterius, poena arbitraria locum habet, et de causis mitigandi poenam sermo esse nequit.

§. 14) In delictis aduersus DEVM, vt dicunt, commissis, partim poena arbitraria statuta est, vt in *blasphemia*, et sic de causis poenam mitigandi nihil differi potest, partim quidem poena posita est ordinaria, sed quam plurimum aliud delictum bonis damnosum est coniunctum, vt in *periuurio* et tunc causa mitigandi poenam in exiguitate damni dati quaerenda est, partim delicti notio plane non inuenienda, vt in *haeresi*, partim res ipsa cogitari non potest, vt in *magia*.

§. 15) Quibus substructis, facile est intellectu, a poena ordinaria non semper vno modo recedi, mox enim poena plane *impeditur*, mox *mitigatur* secundum specialiozem mitigationis conceptum (§. 1) Porro cum mitigatio in specie locum habet, haec ipsa mox maior mox minor erit. Iam vero tota doctrina de mitiganda poena in delictis secundum legitimam cogitandi rationem ad sequentia potest reduci principia. Si factum commissum est, propter quod poena irrogari debet, vel illud reipublicae salutis contrarium erat, vel non. Hoc in casu *nulla poena locum habere potest*. Priori vero in casu, vel factum poenali sanctione interdictum erat, vel non. Si posterius, *nulla poena locum inuenire potest*. Si vero prius, vterius distinguendum. Illi enim, vel quia factum

ipſe commiſit, poena irrogari debet, vel non, ſed quia ad alterius factum concurrit. Priori in caſu vel factum imputari poteſt illi, qui poenam pati debet, vel non. Hoc in caſu *poena plane impeditur*. Illo vero in caſu, vel omnia adſunt, quae plenam imputationem operantur, vel non. Poſteriori in caſu *mitigatio poenae in ſpecie locum habet*, et quum mox plus mox minus de iis deficere poſſit, quae imputationem moralem operentur, gradus mitigationis ex gradibus imputationis dimetiendi, ſunt dandi, hinc regula poni poteſt: *Quo minus delictum agenti poteſt imputari, eo maior erit mitigatio poenae*. Priori vero in caſu adhuc diſtinguendum; vel omnia conſtitutiva, quae ad notionem delicti, de quo quaerſtio eſt adſunt, requiruntur, vel non. Si prius *a poena ordinaria in fauorem puniendi nunquam recedi poteſt*. Si vero poſterius, vel requiſita eam ob cauſam deficiunt, quoniam delictum non conſummatum eſt, vel non, ſed ideo, quia in conſummato ipſo delicto requiſita notionem eius ingredientia deficiunt. Priori in caſu poenae mitigatio in ſpecie locum habebit, et regula poni poteſt: *quo plus ad conſummandum delictum deficit, eo maior erit mitigatio poenae*. Poſteriori in caſu eadem mitigatio obtinet, et regulam ſeruere poſſumus: *quo plura requiſita delicti notionem ingredientia deficiunt, eo maiore rit mitigatio*.

§. 16) Quum quis poenam delicti alterius pati debet, quia ad illud concurrit, vel poſitiue ſiue committendo concurrit, vel negatiue ſiue omit-tendo. Priori in caſu vel ad delictum committendum, vel ad delictum iam commiſſum aliquid contulit. Hoc in caſu per *participationem* con-cuſus fieri debuit, et *nulla mitigatio poenae locum inuenire poteſt*. Illo vero in caſu vel factum non patratum fuiſſet, niſi actionem commiſerit concu-

rens

rens, vel non. Priori in casu *mitigatio poenae locum habere nequit*, posteriori vero in casu *a poena ordinaria in fauorem puniendi receditur*, gradusque mitigationis ex gradibus concursus determinandi sunt, hincque regula statui potest. *Quo minus alter ad delictum alterius contulit, eo maior erit mitigatio poenae.* Quum quis ad delictum alterius negatiue concurrat, pari modo distinguendum est, vel in delicto committendo vel iam commissio hoc factum est. Priori in casu, quum nempe actionem omisit, cuius patratiōe delictum alterius impedire potuisset, vel ad hanc actionem committendam ex legum dispositione obligatus erat, vel non. Priori in casu *nulla mitigatio poenae locum inuenire potest*, posteriori vero *poena plane impeditur*. Si vero ad delictum iam commissum quis negatiue concurrere debeat, hoc per occultationem eiusdem fieri debet, et distinguendum est: occultans vel ex legum dispositione ad manifestandum delictum obligatus erat, vel non. Hoc in casu *nulla poena locum inuenire potest*. Illo vero vel occultato delicto reipublicae praeterea per indirectum malum quoddam illatum est, vel non. Priori in casu *nulla mitigatio poenae locum inuenire potest*, posteriori vero *a poena ordinaria in fauorem puniendi receditur*.

6. 17) Iam facile est intellectu, in delicto, quo damnum magnum illatum est; maiorem poenam non semper statuendam esse, quam in illo, ex quo damnum minus ortum est. Ponamus enim illo in casu actionem agenti imputari non posse, hoc vero in casu, omnia adesse, quae plenam imputationem operantur, tunc si prius, poena impediatur, non vero si posterior. Hinc sequitur, ut v. g. in furto certa summa determinari nequeat, qua ablata homo vita priuandus sit. Fieri enim omnino potest,

vt illi, qui exiguam summam alteri aufert, cui vero furtum eo commissum imputari potest, poena capitalis irroganda sit, quum hic, qui maiorem summam abstulit, sperare possit, fore, vt poena sua vel impediatur vel mitigetur, si nempe adfuerint quaedam, quae imputationem impediant.

§. 18) Quibus bene consideratis facile poterit videri, quid de eorum opinione sentiendum sit, qui pro causis mitigandi poenam in delictis venditant, quae haecce ad genera reduci nequeunt. Sic inter generales causas mitigandi poenam *spurias* omnino referenda est *nobilitas delinquentis*. Nobilis enim, vel in lege, quae factum quoddam salutis reipublicae contrarium sanctione poenali interdicat, a necessitate actiones suas illi conformandi exemptus est, vel non. Illo in casu nobilis in relatione ad hanc legem delictum committere et sic de eius poenae mitigatione sermo esse nequit. Hoc vero in casu nobilitatem pro causa poenam mitigandi in eriminibus venditare, ridiculum esset. Si nobilis non erubuerit, cum homine ciuici ordinis delictum patrare, nec erubescat, cum illo poenam eius soluere. Per delicta salus reipublicae turbatur, siue nobilis ea committat, siue ignobilis, hinc tam illi quam huic eius poena irroganda est.

§. 19) *Promissio mitigationis supplicii* porro inter causas poenam in delictis mitigandi falso refertur. Hic enim non de *superiore*, cui competit exceptionem a lege statuendi, sermo est, sed de *iudice*. Iudici vero nunquam permissum esse potest, mitigationem poenae promittere, et si illam promiserit, iusta causa non existente, promissioni stare nequit. Pari modo *spontanea confessio* causam poenam mitigandi non constituit. Confessione facta laesae reipublicae salus illaesa non redditur et imputatio
non

non impeditur, sic illa poenam delinquentis mitigare nequit. *Diuturna in carceribus detentio* causam itidem poenam mitigandi non constituit. Verum quidem est, poenam eam ob causam diminui, non vero id eo, quia illa in carceribus detentio causa poenae mitigandae sit, sed quia ad proportionem in delicto eiusque poena seruandam, squalor carceris in poenam computatur. Sic a poena ordinaria in effectu non receditur, sed tantum in modo. *Intercessio puellae*, puniendum in matrimonium petentis, causa poenam mitigandi non minus spuria est. Dicitur, matrimonium pro re fauorabili habendum nec facile impediendum esse. Sed secundum principia Pontificiorum fauor matrimonio tributus est, et delinquentis poenam eam ob causam mitigare principiis sanae rationis repugnat. Sic socia in crimine delinquentem a poena ordinaria liberare potest, et in honorem matrimonii homines scelerosissimi iunguntur et loco eius, quod delinquenti in salutem reipublicae poena irroganda esset, quae illum impediatur, quo minus ille delicta patret in futurum, societas conjugalis constituitur, ex qua scelerum imitatores procreantur. Mitigatio poenae ex hoc fundamento praeterea semper iniusta est, et medium iniustum ad finem iustum obtinendum adhibere, nunquam est permissum.

§. 20. Peritia delinquentis siue insigne aliquod agentis artificium, inter causas mitigandi poenam, non minus erronee refertur. Reipublicae damnum in conseruato sceleroso maius est, illo bono, quod conseruato homine artificioso in illam redundat, qui, quo magis peritia imbutus est, eo maiorem habitum in delictis committendis sibi acquirat. *Transactio cum parte laesa* generalem causam poenam mitigandi non constituit, sed tantum illis in delictis, quae primario aduersus hominem committuntur, et tantum per indirectum saluti reipublicae repugnant, vt in adulterio et iniuriis.

§. 21) Hinc specialem causam ex defectu requisitorum notionem certi delicti ingredientium diiudicandam ponunt. In delictis enim, quae salutis reipublicae per directum repugant, transactio illa poenam non mitigat, quae ad satisfactionem publicam, infligitur, super qua singuli transigere nequeunt. Sic denique inter speciales causas mitigandi poenam spurias praecipue illa referenda est, quam in furto in restitutione rei ablatae et remissione illius, cui res ablata est, ponunt. Furtum est delictum reipublicae salutis per directum repugnans. Furto igitur consummato reipublicae interest, eius poenam ordinariam ad satisfactionem publicam statuere. Per restitutionem vel remissionem vero rei ablatae, satisfactio publica non datur, hinc causam mitigandi poenam non constituit.

§. 22) Omnia vero haec dicta, tantum de ea mitigatione intelligenda sunt, quam delinquens a *iudice* expectare potest, non vero de ea, quam *princeps* puniendo tribuit. Quum princeps a poena ordinaria iussit recedi, fundamentum huius mitigationis in eius gratia et facultate exceptionem a lege statuendi, quaerendum est, et tunc facile evenire potest, obvio in casu poenam mitigari, etsi eiusmodi causa, cuius essentiam supra erui, non adsit. Facile quoque ea ex ratione cognosci potest, quatenus princeps ius habeat mitigationem poenae statuendi. Sermo enim est, vel de remissione omnis poenae, vel de mitigatione eiusdem in specie. Priori in casu delictum commissum vel ita comparatum est, ut iam ex legibus naturalibus, necessitas illud poena afficiendi, evolui possit, vel non. Priori in casu, quum fundamentum, ex quo princeps a poena ordinaria in fauorem puniendi recedere potest, non solum sit eius gratia, sed et facultas exceptionem a lege statuendi, sequitur, *principem delinquenti poenam remittere non posse*, quum facultas illi non sit, a legibus naturalibus exceptionem statuendi. Posteriori vero sicut et eo in casu, si de mitiganda poena in specie sermo est, *princeps pro arbitrio in mitiganda poena agere potest*.


Kp 3715

VD 18

ULB Halle
005 725 143

3





1433

CAV

OENAM IN

M.I.O.

MÜLLER

PRAEDIC
FVNC

II HENNEBERG.
GYMNASII

R L. ANNOS
ECLXXVII

IO. H

MÜLLER
NEB.

Top 37
3715

FRIED
VERS
KALLE

